



CONGREGATIO PRO ECCLESIIS ORIENTALIBUS

DECRETUM

Cum Sua Beatitudo Lucianus Mureşan, Archiepiscopus Maior Ecclesiae Graeco-Catholicae Romaniae, in spiritualem fidelium Romanorum ritus Byzantini utilitatem, nomine Synodi Episcoporum, die 27 mensis Novembris anno 2009 sibi proposuerit ut duae paroeciae Romaniae existentes in Canada, scilicet alia in urbe Montreal sub iurisdictione Exc.mi D.ni Stephani Chmilar, Episcopi Eparchiae Graeco-Catholicae Ucrainae urbis Toronti, alia vero Toronti sub iurisdictione Exc.mi D.ni Thomae C. Collins, Archiepiscopi Torontini, canonice concrederentur iurisdictioni Eparchiae Sancti Georgii Martyris Romanorum, in Ohio (USA),

SUMMUS PONTIFEX BENEDICTUS XVI

in Audientia die 28 mensis Iunii anno 2010 mihi infrascripto Praefecto huius Congregationis concessa, ad maiorem fidelium Romanorum unitatem, petitioni annuit Suae Beatitudinis Luciani Mureşan, quem dixi, ut duae praedictae paroeciae Romaniae in Canada transirent sub plenam iurisdictionem Eparchiae Sancti Georgii Martyris Romanorum, in Ohio (USA).

Praesens Decretum Summus Pontifex publici iuris fieri et in Acta Congregationis pro Ecclesiis Orientalibus referri mandavit.

Contrariis quibuslibet minime obstantibus.

Datum Romae, ex Aedibus Congregationis pro Ecclesiis Orientalibus,
die 20 mensis Iulii A.D. 2010.

Leonardus Card. Sandri
Praefectus

✠ Cyrillus Vasil', S.I.
Archiepiscopus a secretis

